

Eloster / ex *Plaustro Plostrum*, unde *Plostellum* apud Horatium: ex *lautum*,
lotum, unde *lotrix*: ex *Mauro Mohr* / ex *Aure Ohr* (uti ex *haurio hōren* /
quod est in illo Poëtæ, Vocemq; his auribus hausi, *Aneid. IV. 359.*) ex
Caule Coles Rohl / ex *Austro Austria Osterreich* & *Osterland*: (a) quam-
quam heic nonnulli, & merito quidem veroq; similius, quod & *Bec-*
manus monet, contrarium magis obtinere statuunt, nempe hanc regi-
onem ex Germanicâ voce appellari *Austriam*, quia *Osterreich* opponitur
Westenreich / vel *Westerreich* / regioni occidentali oppositâ orien-
tali, appellatione exortâ & introductâ à Francorum Regibus, uti ho-
dièq; *Francia orientalis* est *Franconia*, das *Franckenland* / *Francia* verò
occidentalis in Gallijs *Francreich* / à situ seu cardinibus mundi sic ap-
pellatæ. Ita populi Saxonix, teste *Widewindo Monacho*, dicti sunt *Ost-*
fali & *Westfali* ex eâdem ratione, uti versûs illi declarant, quos *Marti-*
nus ex *Annalibus de Gestis Caroli M.* adduxit.

— *Westfalos* vocitant in parte manentes
occiduâ, quorum non longè terminus amne
à Rheno distat. Regionem solis ad ortum
inhabitant *Osterlingi*, quos nomine quidam
Ostfalos alio vocitant, confinia quorum
infestant conjuncta suis, gens perfida, *Slavi*.
Inter prædictos mediâ regione morantur
Angarij, populus Saxonum tertius, — —

Ost ergò est *oriens*, quasi ort ab *ortu*; *West* *occidens* quasi *Wesp* / à *ve-*
spere; *falen* / *valen* / *massen* / à *palando*, ex quo fit *wandelu* / unde *Fan-*
dalt. Quis porrò non videat, ex Græcis *ὄσπρον*, *ὄσπερον* seu *ὄσπερον*
esse deductum Germanicum *Austern* / quæ sunt *mattyæ* illæ sive
τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα gulonum & epulonum divitum. Ita ex *Plotis* facti
sunt *Plauti*, à *planis pedibus*, qui ferè nullam habeant cavitatem in
plantis, unde & *Umber* ille *Comicus* festivissimus ita appellatus fuit.

Ubi

(a) quæ alijs aliàs est *Tburingia Orientalis*: Vide *Wolfgangi Heideri Volum.*
Oratiorum, II. 10. p. 119. seqq.